

Io. Georgii Schelhornii ad celeberrimum Io. Iac. Breitingerum epistola, qua, suum illi consilium de commentariis de vita b. Zach. Conr. ab Uffenbach [...]

Autor(en): **Schelhornius, J. Georgius**

Objektyp: **Article**

Zeitschrift: **Museum Helveticum ad juvandas literas in publicos usus apertum**

Band (Jahr): - **(1751)**

Heft 24

PDF erstellt am: **27.06.2024**

Persistenter Link: <https://doi.org/10.5169/seals-394707>

Nutzungsbedingungen

Die ETH-Bibliothek ist Anbieterin der digitalisierten Zeitschriften. Sie besitzt keine Urheberrechte an den Inhalten der Zeitschriften. Die Rechte liegen in der Regel bei den Herausgebern.

Die auf der Plattform e-periodica veröffentlichten Dokumente stehen für nicht-kommerzielle Zwecke in Lehre und Forschung sowie für die private Nutzung frei zur Verfügung. Einzelne Dateien oder Ausdrucke aus diesem Angebot können zusammen mit diesen Nutzungsbedingungen und den korrekten Herkunftsbezeichnungen weitergegeben werden.

Das Veröffentlichen von Bildern in Print- und Online-Publikationen ist nur mit vorheriger Genehmigung der Rechteinhaber erlaubt. Die systematische Speicherung von Teilen des elektronischen Angebots auf anderen Servern bedarf ebenfalls des schriftlichen Einverständnisses der Rechteinhaber.

Haftungsausschluss

Alle Angaben erfolgen ohne Gewähr für Vollständigkeit oder Richtigkeit. Es wird keine Haftung übernommen für Schäden durch die Verwendung von Informationen aus diesem Online-Angebot oder durch das Fehlen von Informationen. Dies gilt auch für Inhalte Dritter, die über dieses Angebot zugänglich sind.

JO. GEORGII SCHELHORNII

ad Celeberrimum

JO. JAC. BREITINGERUM

EPISTOLA,


qua suum Illi consilium de Commentariis de Vita

b. ZACH. CONR. AB UFFENBACH ac

Thesauro Epistolico Uffenbachia-

no exponit atque com-

mendat.



Viro Maxime Reverendo atque Celeberrimo

JO. JACOBO BREITINGERO,

*Linguae Graecae apud Turicenses Professori Publ. prae-
clare merito, & Collegii Carolini Canonico
Dignissimo,*

Amico honorando

S. P. D.

JO. GEORGIUS SCHELHORNIUS.

QUANTUS fuerit nostro ævo, literis strenue operantium Mæcenas ZACHARIAS CONRADUS AB UFFENBACH, florentissimæ Reip. Mæno-Francofurtensis quondam Scabinus & Senator inter primarios, cujus in nomine habemus, quicquid gloriosum esse potest, ipsemet nosti, Amicissime BREITINGERE! utpote qui eum patronum expertus es mecum longe faventissimum. Hunc, cui unice curæ fuit cordique, ut lætissime efflorescerent bonarum literarum studia, si Heroem in toga & Musagetam summum, si grande sæculi nostri ornamentum, Germaniæ, dum viveret, Peirescium, eruditi orbis amorem atque delicias vocavero, de tuo aliorumque intelligentium suffragio maxime securus esse potero. Ut reliquas ejus exquisitas virtutes taceam, vivit adhuc post fata, & æternum vivet in omnium bonorum memoria UFFENBACHIUS, ad juvandas literas natus, ob instructissimam ac vel ipsis Regibus invidendam Bibliothecam, quam

nullis parcens sumtibus felicissimo successu colle-
 git, & cunctis, illa ad rei litterariæ pomœria pro-
 vehenda usuris, liberali facilitate patentem esse
 voluit, e qua commoda in orbem eruditum re-
 dundarunt longe plurima. Privatæ vero præfer-
 tim mihi sunt causæ, quare venerabilis mihi,
 multis ipsi nominibus æternum devincto, esse de-
 beat Optimi Mæcenatis memoria. Ne quid enim
 de aliis voluntatis in me propensissimæ documen-
 tis dicam, moriens mihi in certissimum benevo-
 lentiaæ suæ pignus reliquit cimelia, auro & gem-
 mis pretiosiora, videlicet præter adversaria sua
 historico literaria, optimæ frugis plena, integrum
 suum commercium literarium, quod cum erudi-
 tissimis nostræ ætatis viris habuit, diaria item iti-
 nerum, in Saxoniam superiorem pariter ac infe-
 riorum, scæderati Belgii provincias, & ad toto di-
 visos orbe Britannos olim feliciter peractorum,
 schedasque præterea varias, quibus nihil quid-
 quam carius pensiusque mihi est. Mearum igitur
 erat partium, exigere etiam videbatur suprema
 voluntas Viri, immortalitate dignissimi, ut Com-
 mentarios, quos de vita propria egregie inchoa-
 tos meæ quoque credidit fidei, his aliisque instru-
 ctus subsidiis pro virium modulo pertexerem.
 Pridem Patrono incomparabili gratæ devotæque
 mentis monumentum, quod incredibile ejus bo-
 nas literas provehendi studium ac tot tantaque in
 me collata efflagitabant beneficia, statui, deque
 meo instituto orbem eruditum certiorum feci, in
 Epistola nempe nuncupatoria A. MDCCXXXVII.
 d. X. Apr. jam exarata, ac Amœnitatum historiae
 eccl. & liter. tomo primo præmissa. Sed, quod
 non sine justis doloris sensu scribo, mea hæcenus
 moli-

molimina, mea desideria flagrantissima destituit obstericans bibliopolarum manus, quos omni licet adhibita industria, ut suam mihi addicere velint operam, incassum adhuc rogitavi. Ne itaque ingrati mihi hominis notam, quam abominor, impingat vel præsens, vel futura ætas, cum in irritum ceciderit studium privatim eam in rem ad hanc usque diem impensum, publice jam, Te proxeneta, omnes, qui literis & memoriæ Viri meritissimi bene cupiunt, obsecratos volo, ut honestum aliquem bibliopolam, qui provinciam edendi commentarios illos æquissimis conditionibus suscipiat, mihi conciliare ne graventur. En vero integri operis sciagraphiam. Duobus istud tomis absolvitur, quorum unusquisque, nisi oculorum iudicium fallit, quatuor circiter, quæ vocant, alphabetis in quadruplici forma constabit.

Liber I. agit de vita ejus puerili atque scholastica ab A. MDCLXXXIII. quo natus est, usque ad A. MDCXCVIII. Liber II. de vita academica a mense Aug. A. MDCXCVIII. usque ad exordium A. MDCCIV. Liber III. de vita privata, musis ac bibliothecæ instruendæ dicata ab A. MDCCIV. usque ad mensem Nov. A. MDCCIX. Liber IV. de vita apodemica a mense Nov. A. MDCCIX. usque ad mensem Apr. A. MDCCXI. Liber V. de vita virili, seu conjugalis auspiciis a mense Apr. A. MDCCXI. usque ad A. MDCCXXI. mens. Maj. Liber VI. de vita reipublicæ devota, a mense Majo A. MDCCXXI. ad beatum usque ejus obitum, A. nempe MDCCXXXIV. Liber tandem VII. isque prosopographicus exhibet

bet icona corporis & animi, scilicet peculiarem de corporis habitu & genio, animi moribus & ingenii studiis narrationem. Primum librum ac secundi partem ipsemet Vir beatus eleganter concinnavit, ac multa de educatione studiisque puerilibus & academicis utilia pariter ac jucunda illis inseruit. Reliqua mea manu addita ex variis τῆ μακαρίτη schedis, commercio epistolico, itinerum diariis aliisque monumentis idoneis. In hac autem biographia varia occurritabunt, rei bibliothecariæ, cui per omnem fere vitam deditus fuit, ac historiæ literariæ nostri ævi haud plane nihil lucis, quod sperare licet, fœneratura.

Sed & aliud institutum est, quod Tuo beneficio, Vir Celeberrime! eruditis innotescere optaverim. Videlicet frequens exercuit cum literatissimis nostri sæculi Viris per epistolas UFFENBACHIIUS commercium, atque isthac ratione & bibliothecam & doctrinam suam luculenter amplificavit. Nec piguit eum majoris ἀριβείας gratia primam literarum ab se scriptarum formulam penes se studiose servare, & cum amicorum epistolis ratione temporis habita, in certa volumina cogere, qualia mihi ex legato Mæcenatis præsto sunt unum in folio, & novendecim in quarti ordinis forma, eaque satis spissa, & exquisita eruditione turgida. Complectuntur autem, si nostri etiam Musagetæ responsa ad calculos una voces, supra quinque epistolarum millia. Locuples certe variæ doctrinæ & historiæ præsertim literariæ promptuarium! En vero Tibi plerorumque nomina, quorum epistolæ cum Uffenbachii responsis ad manus sunt, alphabetica serie disposita.

Sunt

Sunt autem Jo. Henr. Ackerus, Simon Joann. Arnoldus, Petr. Frid. Arpe, Christ. Frid. Ayrmannus, Jo. Jac. Baierus, Jo. Henr. Balthasar, Jo. Henr. Barthius, Henr. Jac. von Bashuysen, Jo. Alb. Bengelius, Jo. Herm. Bennerus, Jo. Ad. Bernhardus, Jo. Frid. Bertramus, Frid. Jac. Beyschlagius, Jo. Jac. Bodmerus, Just. Christoph. Bœhmerus, Ludov. Bourguetus, Jo. Jac. Breitingerus, Jac. Bruckerus, Franc. Ern. Brückmannus, Jo. Georg. & Jac. Burckhardi fratres, Jo. Steph. Burgermeister, Wolfg. Paul. Burgermeister von Deyzifau, Jo. Christianus Clodius, Jo. Christoph. Colerus, Gottl. Cortius, Jo. Daniel Cramerus, Matur. Veiffier la Croze, Magnus Crusius, Ern. Sal. Cypriani, Jo. Andr. Danzius, Raymundus Duellius, Gabriel Dumontius, Jo. Georg Eckardus, Jo. Georg Estor, Jo. Alb. Fabricius, Rud. Ant. Fabricius, Jo. Leonh. Frœreisen, Jo. Herm. Fürstenau, Jo. Benedictus Gentilott ab Engelsbrunn, Ephraimus Gerhardus, Jo. Matthias Gesnerus, Jo. Ern. a Glauburg, Jo. Zach. Gleichmann, Jo. Wilh. de Gœbel, Jo. Dan. Gruberus, Valent. Ferd. de Gudenus, Jo. Tob. Hagelgans, Mich. Gottl. Hanschius, Jo. Christoph Harenbergius, Christ. Frid. Harpprecht, Jo. Adolph. Hartmannus, Theodorus Hafæus, Eberh. Dav. Hauberus, Jo. Michaël Heineccius, Laur. Heisterus, Jo. Jac. Helfferich, Christoph Aug. Heumannus, Christian. Henr. Hiller, Jo. Conr. Hofmannus, Jo. Frid. Homberg, Philibertus Hueberus, Casp. Jac. Huth, Petrus Jænichius, Georg Christianus Joannis, Car. Steph. Jordanus, Jac. Christoph. & Jo. Rudolph Iselii, Jo. Frid. Kayserus, Jo. Dav. Kœlerus, Jo. Petr. Kohlius,

lius, Raymundus Krafft de Dellmensingen, Jo. Philipp. Kuchenbeckerus, Christoph. Aug. Læmmermannus, Jac. Lenfant, Frid. Christ. Lesserus, Chr. Siegm. Liebe, Jo. Georg Liebknecht, Mich. Lilienthal, Val. Ern. Lœscherus, Paul. Dan. Longolius, Jo. Georg. Lotterus, Georg Melch. de Ludolf, Jo. Christian Lunigius, Polycarpus Lyferus fil. Jo. Henr. Majus Pater & Filius, Jo. Casp. Malschius, Henr. Wilh. Marschalch, Jo. Jac. Mascovius, Jo. Godofr. de Mejern, Jo. Burch. & Frid. Otto Menckenii Pater & Filius, Gerh. Meuschenius, Lud. Christian Miede, Jo. Henr. Mollenbeccius, Jo. Laurentius Moshemius, Jo. Jac. Moserus, Jo. Ern. Müllerus, Christian Münden, Georg Lud. Oederus, Jo. Bapt. Ottius, Jo. Georg. Palm, Dominicus Passionei, antehac Archiep. Ephesin. & Pontificis Rom. apud Augustiss. Rom. Imp. cum facultate Legati de latere Nuncius, hodie Rom. Eccles. Cardinalis, Jo. Wilhelm Peterfenius, Bernh. Pezius, Car. Frid. Pezoldus, Christoph. Matth. Pfaffius, Ern. Mart. Plarre, Car. Otto Rechenbergius, Jac. Frid. Reimannus, Euchar. Gottl. Rinckius, Jo. Frid. Lib. Baro de Roth, Consil. Imp. Aulicus, Henricus II. Comes Ruthenus, Jo. C. Santeroc, Jo. Frid. Schannatus, Gottfr. Balth. Scharffius, Jo. Georg Scherzius, Christian Schlegelius, Jo. Jacob Schmauffius, Jo. Andreas Schmidius, Jo. Herm. Schminckius, Dan. Schneiderus, Jo. Diet. de Schœnberg, Jo. Henr. Schrammius, Jo. Contr. & Christian Gottlieb. Schwarzii, Jo. Henr. a Seelen, Henr. Christian. Senckenberg, Georg Serpilius, Georg Contr. Siglerus, Jo. Bapt. du Sollier, Car. Otto Comes Solmensis, Jo. Wilh. Steinheil,

heil, Jo. Phil. Storrius, Burc. Gotth. Struvius, Jo. Jac. Syrbius, Frid. Thom, Gottl. Sam. Treuerus, Mich. Bernh. Valentini, Jo. Mich. Verdries, Godofr. Vockerodt, Jo. Jac. Waldschmid, Jo. Georg Walchius, Georg Wallinus, Imman. Weberus, G. W. Comes de Werthern, Jo. Jac. Wiegerus, Christianus & Jo. Christoph. Wolfii, Andr. Christoph. Zellerus, Jo. Jac. Zimmermannus, Jo. Ehrenfried Zschackwiz. Ex tanto autem epistolarum a Viris celebratissimis scriptarum cumulo, ne mihi soli delectamento atque usui sint, in certum rei literariæ incrementum sensim sensimque selectiores, in fasciculos redactas, ac meis, sicubi opus fuerit, observationibus illustratas, Uffenbachii quoque, ubicunque res efflagitaverit, responsionibus adjectis, publici juris facere animus est. Secuturus vero exemplum præstantissimorum Virorum Felleri (a) Struvii (b) Heumanni (c) Reimari (d) & Uhlii (e) epistolas non integras, sed particulas tantum notabiliores ex iis depromptas exhibebo, præsertim cum copia obruar: nonnullas tamen, sicubi visum fuerit, inseram totas, cum haud desint, qui literas integras, quam earum fragmenta legere malint. Ita autem hac in re versabor, ut THESAURUM EPISTOLICUM UFFENBACHIANUM adornaturus, primo omnium literas, per longam
 anno.

-
- (a) In Monumentis variis ineditis.
 - (b) In Actis literariis ex MSS. editis.
 - (c) In Poecile.
 - (d) In Vita D. Io. Alb. Fabricii.
 - (e) In Thesauro epistolico La-Croziano.

annorum seriem ab Optimo Mæcenate ad amicorum suorum principem, Io. Henricum MAJUM, fil. Philologum Giessensem maximi nominis, & ab hoc vicissim ad illum exaratas, ea, qua dixi, ratione aliquot tomis comprehensas in dias luminis auras proferam. Qui hosce Duumviros incomparabiles, & omnibus doctrinæ numeris cumulatissimos recte novit, facile augurabitur, ingentem se in iis variæ eruditionis optimæque frugis copiam deprehensurum esse. Utinam ergo aliquis honestus Bibliopola sibi persuaderi pateretur, ut *Commercium* hoc literarium suis sumptibus excudendum susciperet! Illi sane æquissimas condiciones polliceor, ac, ut salivam eruditis lectoribus moveam, quædam hic specimina omnium oculis expono.

JO. HENRICUS MAJUS Fil.

AD Vossii Epigrammata (a) quod attinet, scias velim, ea nondum esse edita, quod partim ex iis, quæ Cl. Fabricius in sua bibliotheca de
variis

(a) De Codice hoc anthologico vid. Bibliothecam Uffenbachianam manuscriptam, Partem II. a Io. Henr. Majo fil. adornatam, col. 573. sq. Varia ex illo epigrammata antehac inedita laudatus Majus in lucem protulit in *Observat. sacr. Libr. IV. p. 1. 65. 120. 147. 189.* Aliam deinde Uffenbachius nactus quoque est manu exaratam epigrammatum Græcorum, maximam partem ineditorum, collectionem, ex eaque l. c. col. 574. sqq. copiose descripta haud pauca specimina publici juris fecit.

variis editionibus Florilegii docet, partim, & imprimis ex his, quæ Colomesius de iisdem refert, conjicio. Hic enim *dans le Recueil des particularitez* p. 331. edit. a laudato Dno. Fabricio adornatæ, recensens varios Bibliothecæ Vossianæ Codices manuscriptos Græcos, ista narrat: *Un recueil d'Épigrammes Grecques qui ne sont pas dans l'Anthologie, copié par GRUTERUS sur un MS. de la Bibliothèque Palatine, dont il estoit Garde.* Idem Colomesius in *Catalogo manuscriptorum* Isaaci Vossii p. 860. num. 162. hæc habet: *Anthologia Græca hæctenus inedita, a Fr. Sylburgio elegantissime descripta, e Codice Bibliothecæ Palatinæ, quæ postea Vaticanam auxit.* Viden' Vir Generosissime quanti thesauri possessor sis factus; talis utique, quo & Palatina & Vaticana superbierunt bibliothecæ. Componere invicem nequeo, quare priore in loco illam Anthologiam (sive nunc integra sit aliqua, quod non videtur, sed ejus duntaxat pars) a Grutero, at in posteriore a Sylburgio descriptam commemorarit Anglicanæ Ecclesiæ Presbyter. Ad me quod attinet, huic potius quam illi istam gloriam deferre voluerim, utpote quum Gruterum in excutiendis Romanorum magis quam Græcorum scriptis desudasse constet.

Giesæ III. Id. Aug. 1713.

ZACH. CONTR. AB UFFENBACH.

Acceptissima fuere Biblia vulgari lingua Ebraica Amstelodami MDCLXIX. typis expressa, ob malam, quam in istis Iudæi prodidere fidem, contra multorum assertiones de summa scilicet, qua Sacras Scripturas semper tractaverint, atque

Tom. VI.

OO

etiam.

etiamnum tractent, reverentia atque religione. Nefaria sane corruptio loci Esaj. VII: 14. ubi pro verbo *Alma* seu virginis substituerunt viraginis seu uxoris juvenulæ, *junge Frau*, pro *Jungfrau* ut alia taceam, ne vere mihi objiciatur illud: *Noctuas Athenas*. Quod vero mireris est, quod Poloniæ Rex IOHANNES III. privilegio non solum muniverit, sed Christiani etiam homines, Amstelodamenses urbis incolæ, sumtus subministraverint, quo in Religionis Christianæ ignominiam ac detrimentum in lucem prodirent. Monitum de Vossii Epigrammatibus grata mente agnosco, auget summopere gaudium meum, quod ob illorum copiam mihi factam conceperam. Quid enim gratius mihi esse possit, quam Cimelium Palatinæ quondam eheu! primo extitisse, dein Vaticanæ, atque etiamnum anecdoton esse.

Francos. ad Mœnum. d. XXII. Aug. 1713.

J. H. MAJUS.

Maximas ago gratias pro commentatione de lingua Carchedonia, (a) quam, etsi jam ante legerim possederimque, vel eo tamen nomine

(a) Digitum haud dubie intendit Majus in Georg. Henrici Sappuhnii commentationem philologicam, qua linguæ Carchedonicæ reliquiæ, ab Ac. Plauto Act. V. Sc. I. & II. Poenul. adservatæ, explicantur, & ad dialectum Aramæam referuntur. Lips. 1713. 8. Honorificum de ipso tulit iudicium Clar. Chr. Frid. Wilischius in Indice Bibliothecæ Gymnasii Altenburgensis p. 62. his ver-

ne adſervabo, quia a te mihi donata eſt. Non poſſum, quin meam tibi de illo ſcripto aperiam mentem. Referri debet ad ea, quæ orbem litteratum non tam juvant quam onerant; me ſane tædio adſecit, ſimulac vel unicam legeram paginam. Bonus homo vix intelligit, quid ſit vetus lingua Punica, ubi ejus occurrant reliquiæ, num in orbe adhuc ſit, quantus fuerit illius ambitus, de quibus tamen omnibus & ſcribit & loquitur. Multi nempe, quo plus balbutiunt, plus garrunt. Ego tempus aliquod excitandæ e ruderibus linguæ Carthaginiensis, nec, ut arbitror, ſine fructu, impendi, cujus forſan participes reddam propediem complures. Recordor Rhenferdium edidiſſe periculum Punicum, nondum a me viſum, quanquam diu quæſitum, quia magno illud mihi adjumento futurum ſemper judicavi, qui beati viri, quæ ſcripſit omnia, in deliciis habeo. Quare, ſi votum meum, Vir ſumme, adimplere poteris, fac quæſo, & ad Tua in me promerita id unicum adde. Cel. Ioh. Alb. Fabricii, communis noſtri amici, bibliothecam antiquariam heri nocturno tempore, inter divinæ herbæ fu-

O o 2

mos,

bis expreſſum: *Hujus feliciffimum ingenium a diſcipulatu mihi jamjam innotuit. Multa enim jam promittebat, cum Miſenæ regis ſuntibus mecum aleretur, indolemque, poëſeos imprimis ſtudiis maxime idoneam, admodum adoleſcens adhuc oſtendebat. Eruditam vocat hanc Sappuhnii commentationem I. Alb. Fabricius in Bibliothecæ Latinæ Vol. II. p. 8. Recenſionem ejus vid. in Supplement. Act. E. rud. Tom. V. p. 421.*

mos, volvi. Spirat liber consuetum Auctoris oleum, sed, quod tibi in aurem dico, plus nocebit, quam proderit, non sua quidem culpa, sed legentium abusu. Quum enim de libris antea non nisi multo tempore exercitati homines verba facere, de Scriptoribus cujuscunque generis, & materiis non ubivis obviis disserere, libros etiam conscribere, & alios incitare ad cognoscendam probe discendamque rem litterariam potuerint, utpote quibus lecta fuerant, quæ huc pertinent fere omnia: nunc & pastores, & ludimoderatores, ne quid dicam de semiasinis, hoc est, negligentibus bonarum litterarum studiosis, ubique Scriptores, antiquitates, monumenta veterum & recentiorum Stentorea voce clamabunt, atque, ubi aliquid scribendum, ad hic indicatos Auctores recurrent, unde fiet, ut ex nonagesimo libro conficiatur centesimus, mors denique vere eruditus adponatur.

Kal. Sept. 1713.

Z. C. AB UFFENBACH.

TRansmissum nuper schediasma ipse nullius pretii, ac ideo etiam nullam ejus in litteris mentionem, feci. Davum non OEdipum se præstitit ejus Auctor, nec reputavit secum, quam ardua res sit, linguam emortuam resuscitare, imprimis cum pauca adeo monumenta ætas reliquerit. Gaudeo igitur summopere, quod tu de restituenda nobis Punica lingua cogites, cum nemo ad id præstandum instructior esse possit, utpote vere ad linguas natus & educatus. En tibi Rhenferdii periculum, quod Bibliopola Batavus, qui
heri

heri advenit, commode attulit. Palmyrenum vocat, quod tu Punicum. Aliud enim non scripsisse scio, & Punicam ac Palmyrenam linguam plane eandem, vel parum discrepantem, ex Thom. Hyde, loco in appendice hujus Periculi adducto, (nimirum de Relig. vet. Pers. p. 524. & 525.) colligo. Faxit Deus T. O. M. ut telam, quam vix exorsus est Vir Celeb. feliciter pertexas. Cum Franequeræ nuper morarer, illumque inviserem, pluribus de ulterioribus conatibus coram egit Vir optimus, quos tamen præmatura heu! nimis mors confregit! Dono quoque mihi dabat egregias duas inscriptiones Palmyrenas Roma Illustri Cupero transmissas (a), ærique incisas, quas, si ad manus nunc essent, una misissem. Sed videbis illas quam proxime. Utinam oculis quoque tuis intueri posses ingentem illum Punicorum nummorum Thesaurum, quem Vir Illustris Dn. BARRY (b) in suburbano suo prope Ultrajectum possidet.

O o 3

fidet.

(a) A Francisco Blanchino, de quibus vid. Clar. Belgarum ad Ant. Magliabechium, nonnullosque alios Epistol. Tom. I. p. 135. 137. &c.

(b) Frequens & honorifica IACOBI DE BARRY, qui ex Hispania, Hispali, ubi Consulem Belgicum egerat, redux, incredibilem veterum nummorum, quos nec audivit, nec protulit quisquam, copiam secum extulit, fit mentio in Epistolis clarorum Belgarum ad Magliabechium, Tomo I. p. 100. 107. 117. Tom. II. p. 216. nec non in *Lettres de Critique, d'Histoire, de Litterature, ecrites a divers Savans de l'Europe par Mons. Gisbert Cuper*, p. 349. 351. 354. &c. Præter alia

fidet. Maxima cum admiratione vidi illum, manibusque ob meam in his, quam lubens agnosco,

Cuperus ad Io. Clericum de ipso hæc præscribit: *Recte miraris amplissimum Consulem Hispalensem, ad alia longe destinatum, tam eximios progressus fecisse in studio, quod ab antiquis præscique ævi reliquiis nomen habet, & tam egregie nummos veteres explicare. Ego certe itidem in admirationem raptor, cum litteras, quas ad me longas & eo gratiores mittit, examino, & iis ex paupere meo penu aliquid repono. Video enim non absque singulari lætitia eum de rebus Hispaniarum veteribus & recentibus, de populorum istorum nummis, de urbibus, de Diis solerter & erudite agere, & subinde mittere animadversiones, quibus licet vetus aliquis auctor fundus factus non sit, tamen ex re ipsa nasci videntur, & mihi ansam præbent penitus in eas inquirendi.* Io. autem Clericus l. c. p. 355. se quatuor primas tabulas numismatum Gaditanorum, aut in Bætica Hispania inventorum quatuor litteris Gallicis explicuisse meminit eas aliquando cum aliis editum iri sperans. Iplius vero Iac. de Bary epistolam copiosam, & solers viri acumen insignemque rei numismaticæ peritiam testantem Palæstinæ suæ ex veteribus monumentis illustratæ Libro III. p. 934. sqq. inseruit Hadrianus Relandus. Cæterum Hispaniam, ubi gazas potissimum suas feliciter conquistavit nobilissimus de Bary, nummorum veterum & incognitorum esse feracissimam, testis est omni exceptione major Emmanuel Martinus, inter alia ad Ianum Conduith, Anglum, scribens: *Non miror, eam te isthic natum antiquorum numismatum copiam, qui sciam, om-*

scō, imperitiam illotis tractavi. Omnes fatentur tantam nullibi eorum copiam, nec in regio Parisiis Cimeliarcho reperiri. O ter quaterque felicem, cui hanc contigit adire Corinthum, tantumque colligere apparatus, cum Consul in Hispania esset. Præstantiores ex his nummis in æs insculpi curavit, has tamen tabellas, quanquam summo earum flagrarem desiderio, habere non potui a Viro cæterum humanissimo, quippe qui exteros serena non solum fronte excipere, ac animum oculosque Numophylacii sui deliciis, sed & corpus pascere ac recreare solet, quod ob loci ab urbe distantiam, penuriamque commode accidit. Si haberem dictas Tabellas, tecum etiam communicarem. Ast summa cum voluptate percepi, alia multa monumenta egregia, quæ Amstelodami intueri licuit, jam publicata esse, quæ tibi & magno delectamento & maximo adjumento esse poterunt. Ea nimirum collegit stupendo labore in secundis suis itineribus Vir indefessus, ac priorum, quæ peregit, descriptione

O o 4 ne

nem Hispaniam eorum esse fecundissimam, nihil in ea tam obvium quam veteres nummos, sive vomeri, sive ligoni, sive rastro. Quod tamen fortunæ beneficium indigenarum inscitia corrumpit. Quam insaniam nec Hercules ipse expugnare valeat, qui tot monstra perdomuit. - - Eruuntur etiam frequentissime in tota Hispania, præsertim in citeriore, ingentes nummorum quorundam acervi, characteribus ignotis, quos ego Hispanienses appello. - - Punica numismata obvia in istis oris. &c. Vid. ejus Epistolarum Librum VII. Tom. II. p. 13. sq.

ne jam defunctus Celeberrimus Dominus LE BRUYN. (a) Alterum hoc iter præcipue instituit, ut accuratissimam Persepoleos, in quantum quædam nobis restant præstantissimæ olim ac famosissimæ hujus urbis vestigia, descriptionem faceret. Præstitit hoc non solum, sed & plurima rudera vel lapides ipsos maximis sumtibus secum attulit, Serenissimo Brunsvicensium Duci jam oblatos, reliquorum vero quos præ mole vindicare nequivit, elegantissimas delineationes, ut summus pictoria arte magister, sibi fecit. Harum elegantiam quidem perspexi, sed de fide, vel etiam dexteritate Viri, utpote elegantiorum, & imprimis harum litterarum rudis, nil definio; etsi multis verbis eam sibi asserere ac deprædicare nobis studebat, quam improbo labore ac studio litterarum characteres familiares sibi reddiderit, quo exantlato nullo postea negotio Inscriptiones etiam in altissimis locis positas, legere ac describere calluerit. Sperabam optabamque eximiam hujus Itinerarii partem alteram hisce nundinis nobis allatum iri; sed nullus Bibliopolarum ejus exemplum advexit, quod ipsius auctoris sumtibus prodierit. Quæ vero ita eduntur, Bibliopolarum, uti nosi, invidia premuntur, ideoque his cavendum est diu Eruditis. Verum justas has querelas jam non repeto, sed ad tuas potius, quas de nuperrima in publicum prolata Bibliotheca antiquaria fundis, accedo. Probo illas, mitigandas tamen ex parte judicavi,

pace

(a) Conf. Clar. Belgarum ad Magliabechium Epistol. Tom. I. p. 141. sq. & Lettres de Mons. Giob. Cuper. p. 25. 117. 298.

pace tua. Licet enim facile concedam tibi, librum illis, qui scribentium ordinem ambiunt, vel potius infamant, animum addere ansamque dare: attamen talium librorum ad Historiam litterariam, librariamque usus tantus est, ut justus ille metus me non absterreat, quo minus optem, ut in omni disciplinarum genere tam copiosi nobis indices extent. Quanquam enim altæ tantæque de scribendi Cacoethe sint querimoniae, ut gravissimi quidam viri non aliud remedium superesse crediderint, quam si publica auctoritate compesceretur, attamen firmissime mihi persuasum habeo, ab hoc consilio eadem orbi litterario, immo universo damna, quæ Expurgatorii Indices olim intulere, immo interitum ipsum metuendum esse. Ut taceam difficultatem nominandi constituendique Censores. Vix enim in toto terrarum orbe vel unum Aristarchum reperias, qui si vel eruditionem, vel fidem, vel candorem spectes, huic oneri par sit. Quod evidenter demonstrari posset, si hujus loci esset. Scribant omnes. Innumera mundus adhuc ferre potest scripta, immo quam plurimis iisque maxime necessariis caret. Natura sic comparatum est, ut juncta sint mala bonis, modo ne nimis excedat malorum numerus, nec lolium & steriles dominantur avenæ. Nec desperemus, si augeri zizaniam videamus, & cum prudenti illo Patrefamilias crescere potius una, quam evellere ac omnia perdere sinamus. Sit omnibus libertas, hæc omnium bonorum fons est. Effrœnis paulo est in republica litteraria, dedecus etiam damnumque parit, fateor. Sed si prematur, interitum affert. E duobus malis minimum elige, nam medium soli beati tenuere. In-

famia cadat in eos, qui malos monstrososque fœtus parturiunt, vel potius abortiunt, damnum vero omne in illos, qui illotas manus obstetricantes porrigunt, vel abortum causant, Typographos Bibhopolasve puto. Eruditi vel ex immensa copia selectum sibi facere norunt, tyronibusque suo iudicio succurrere possint, atque in Academiis viros constituent, qui hæc ex professo agant. At magnum hic latet iniquitatis & ignorantiae mysterium.

D. Sept. 1713.

J. H. MAJUS.

NEscio, quo fato ad me devenerit Rhenferdii periculum Palmyrenum, quum Periculum ejusdem Punicum rogavissim. Sive vero meæ hoc tribuendum festinationi, nomina fortassis gentium permutanti, sive tuæ benignitati, quæ cum hujus fieri compos nequiverit, illud misit; gratissima tamen mente veneror tuum bene de me merendi studium, quod & indicatione variorum Punicorum gazophylaciorum luculentius comprobatum dedisti. Non video, Vir Summe! qui ex debitorum cumulo me liberem; adeo magna sunt & multa, quæ indies in me confers. Palmyrenum nunc periculum ad te redire jubeo, quo ipso B. auctor me donaverat; cujus inscriptiones binas, Roma illustri Cupero transmissas, si vel inspicere liceret, quantas tibi referrem gratias! nam & nobis Rhenferdus aliquas dedit, typis vero nondum expressas. Quæ de Dn. Barry & le Bruyn narravisti, uti ante hanc inaudita diem fuisse, ita longe jucundissima, quum & hoc thesau-

ro carendum mihi sit, ad tenebras damnato, nec Belgium, nec Angliam visuro. Bibliothecæ antiquariæ defensionem suscepisti, Vir consultissime: Admitto illam per omnia; sequor iudicium, nec ero tibi adversus. Locum utique habet illud Mo-
sis: Utinam vaticinentur omnes! Verum ut vaticinia debent esse vera ex omni parte, in quibus nihil unquam desideres: ita optandum, ut qui animum ad scribendum impellunt, circumspecte id negotium tractent, quum delicata res sit, adplausum recte sentientium mereri. Ego sic existimo de bibliotheca illa: eruditos juvabit, superficialia doctrina imbutis inertiae erit nutrimentum, indoctis plane non proderit. Illi gratias habebunt Vi-
 ro eruditissimo, unum alterumve scriptorem indicanti, non omnibus obvium; isti velut ad Jovis aram eo confugient, ignorantiae quæsituri pallium, multorum scriptorum, quos nec viderunt per vitam, nec alibi, quam eo in libro, legerunt, ostentatione; hi parum de antiquis solliciti, aliena curant. Sed illud scribendi cacoethes, de quo & ipse conquereris, quando e Germania proscribetur? Saxoniam imprimis malum hoc occupavit, & ita quidem, ut nec plures, nec stultiores alibi temere invenias scriptores. Olearios, Rechenbergios, Danzios, Hardios, Buddeos excipio, & nonnullos alios, verum tam paucos, ut annulo inscribi possint. Considera, Vir amicissime! relationes litterarias, quibus nunc abundamus. Quanti putas illas esse faciendas? Nonne & hinc, qui meram sectantur eruditionem, multa hauriunt ad usus proprios? atqui alii etiam indocti & ignavi libros recensitos tam frequenter crepant, ut garrientibus auscultare molestum sit.

Hæc

Hæc est illa pernicies, quæ nobiles & semidoctos invalit, ut ex catalogis sapere discant, non ex libris Auctorum ipsis. Hinc videas ridiculos homines tam multa de capitibus librorum, de auctoribus, de judiciis, de oppugnationibus, deblaterare, ut eruditionis te monstrum audire opineris; quum interea, si accuratius instituas cum locutuleio examen, stuporem & summam omnium inscitiam sit proditurus. Longe, & longe aliter se habet cum illis, qui recte norunt uti libris, non ostentandi, sed discendi, causa volvendis revolvendisque. Quorum in censu ut numerandus olim veniam, omnem moveo lapidem, eaque fini attente tuos lustravi Codices, & circumspicte, ne vitio dari possit, me illorum imitatum consuetudinem, quibus sat est, obiter vidisse Codicem, nosse in hac vel illa bibliotheca exstare membranas, nervum vero & succum negligere.

XIV. ante Kal. Oct. 1713.

Z. C. AB UFFENBACH.

Catalogo Manuscriptorum Hieronymianas meas Lectiones (a) intertexam, una cum aliis, quas ex diligenti omnium codicum meorum collatione
varian-

(a) Solenne erat b. UFFENBACHIO, diebus dominicis, peractis sacris, lectitatione veterum Patrum, ad pias meditationes viam sibi sternere: qua occasione interdum etiam luculentam aliquam editionem conferebat cum vetusto suæ bibliothecæ Codice MS. enotatis hinc variis lectionibus notabilioribus. Sic insignem Codicem membra-

variantes deprehendero. Stultum enim semper illorum hominum ardorem credidi, qui ob unam alteramve lectionem, in codice, quo gaudent, deprehensam, integrum auctorem prelo iterum atque iterum subjiciunt, seque hoc solo nomine summos in orbe Criticos reputant. Hinc innumeræ illæ auctorum veterum editiones superfluæ, hinc etiam præstantissimi studii Critici contemptus. Melius agerent illi, si omnem Lectionum suarum farraginem paucis foliis inscriberent, cumque aliis ederent, ut habeant Viri eruditi, quibus ingenium exerceant, meliores inde seligant, optimos quosvis auctores illis ornent, atque emendent. O quam multæ etiam egregiæ Lectiones veterum tam sacrorum quam profanorum auctorum ob hoc institutum consiliumve neglectum premuntur, dum bibliothecarum Præfecti, vel alii etiam privati possessores præstantissimos Codices suos vel negligentia, vel inscitia, vel etiam præpostero in hoc studium fastu sibi aliisque inutiles jacere patiuntur. Perpende, quæso, mecum Vir eruditiss.

neum Augustini de Civitate Dei diligenter comparavit cum Jo. Clerici editione, binos item codices, quorum unus Gregorii M. Moralia in Jobum, alter ejusdem Dialogos complectitur, cum præstantissima Monachorum e congregatione S. Mauri editione, & codicem epistolarum aliorumque opusculorum Hieronymi, sæculo XIII. in membran. manu exaratum cum Jo. Martianæi editione, variasque inde lectiones memorabiliores congestit, de quibus videsis Bibliothecæ Uffenbachianæ universalis Tom. III. p. 463.

ditiff. quantus thesaurus ex solius Bodlejanæ Bibliothecæ codicibus elici possit, nisi Proto-Bibliothecarii Hudsoni negligentia ac pertinacia obstaret. Is enim muneri abunde satisfecisse, imo eximie ornasse spartam videri vult, dum tot annis unico scriptori, Thucydidem ejus puto, omni Bibliothecæ cura plane abjecta insudavit, cum hoc, quod supra dixi, potius agendum fuisset. Nefandam hujus insignis Bibliothecæ sortem (ignosce justæ indignationi) satis deplorare nequeo. Inculta plane jacet, nemo ferme tanto thesauro uti frui gestit. Singulis sane diebus per trium mensium spatium illam frequentavi, sed ita me Dii ament, nunquam tot una vice homines in illa vidi, quot numero sunt Musæ, vel saltem artes liberales. De librorum studiosis loquor, nam puerorum, muliercularum, rusticorum hinc inde cursitantium, voluminumque multitudinem per transfennas spectantium, mirantiumque cœtum excipio. Quid dicam de Præfectis, de Proto-Bibliothecarii incuria jam dixi, ejusque stupendam in Historia Litteraria, Librariaque, imprimis extra Insulam, ultraque maria ignorantiam taceo. Alteri, nomine *Crub*, caput vacuum cerebro est, lepidum alias, dignusque homo, quem ridiculo illo encomio, quo tamen multi serio egregios Viros onerarunt, ornatur, vociteturque Helluo, non librorum tamen, sed præmiorum, quæ ab exteris Bibliothecam hanc invisentibus avide excipit, statimque cauponibus reddit pro liquore, ad guttur colluendum, purgandumque a pulvisculo, qui librorum tractationem velut umbra aut nebula comitari solet. Quamvis non ejus, sed tertii infimique Bibliothecarii hoc sit munus, ut li-
bros

bros in loculos reponat, quævis in ordinem re-
 digat, atque emundet. Hic Scholaris, ut hic
 loqui amant, esse solet, atque etiamnum est, no-
 mine *Hearne*, qui præ reliquis, diligentiam suam
 non modo scriptis, sed in novo etiam Bibliothecæ
 Catalogo conficiendo, typis proxime exscri-
 bendo probavit: ast quod dolendum, ad exem-
 plum prioris, qui satis jejunus, inconcinnus, er-
 roribusque innumeris scatens est. Talis quoque
 est index mancriptorum, qui non solum hujus,
 sed & totius Angliæ Bibliothecarum codices com-
 plectitur. Quantos lapsus in hoc, dum Oxonii,
 Cantabrigiæ, Londini ipsos codices perquirerem,
 invenerim, diarium meum monstrare poterit. In-
 tegros duos chartæ scapos errorum notationibus
 complevi indignabundus. Non est hujus loci ex-
 aggerare errores, ast ipse nosti, quam supine con-
 fectus sit Catalogus. Tribus saltem verbis codices
 enarrantur, nulla addita mentione, cujusnam sint
 notæ, cujus ætatis, sintne membranacei, vel char-
 tacei, ne quidem additum cujus formæ. Hæc
 omnia de potioribus Codicibus diligenter in meos
 usus annotavi, quantum quidem temporis angu-
 stia permisit. Interim optandum esset, ut reliquæ
 Europæ gentes Anglos sequerentur, talesque in-
 dices conscriberent. Quanta Cimelia ex Galliæ,
 Hispaniæ, Italiæ & nostræ denique Germaniæ Bi-
 bliothecis proditura essent! quantum id erudito-
 rum studia promovere posset! Sed hoc piis desi-
 deriis adscribendum est. Finem epistolæ, quæ
 jam jam modum excessit, facerem, nisi tu adhuc
 rogandus mihi esses, velis haud gravatim Indicem
 rariorum aliquot librorum Hebraicorum texere.
 Judæus enim, qui nuper codices vendidit, ope-
 ram

ram addixit, libros quoscunque e Belgio, Italia, &c. procurandi. Attulit mihi nuper Biblia Hebraica nitidissimis Roberti Stephani typis exarata, porro librum *Rafiel*, de quo Buxtorfius in Bibliotheca Rabbinica ex D. Schwenteri litteris (nam ipse oculis suis nunquam usurpasse videtur) mira narrat hujus libri deliramenta. Acceptus fuit libellus, cum cæteris hujus furfuris reponendus in locum damnatorum. Nunquam credidissem, tot Magicorum næniis orbem eruditum repletum esse, nisi Augustanus quidam Bibliopola Kührtze ejusmodi librorum Indicem (a) plus centum complecten-

(a) Est mihi ille index ad manus, libros magicos quadraginta supra centum complectens, ac sine anni locique nota hoc titulo exscriptus: *Catalogus rariorum manuscriptorum*. Lipsia eum ad Ill. Uffenbachium A. 1727. Henricus Wilhelmus Marschalch transmisit, hæcque simul de illo retulit: Alle darinn gemeldte Scripta hat ein gewisser hiesiger Doctor ebedessen bensammen gehabt, und vor 4000. Reichsthaler an den ersten vermögenden Liebhaber verkauffen wollen. Ein Buchhändler, welcher gegenwärtiges Blätgen debitierte, kam auf Veranlassung Herrn D. Löschers darüber in Verantwortung, und dieses letztere musste als confisciert denen Gerichten ausgeliefert werden. Doch bekame der Besitzer von allem zeitlich Wind, so daß er die MSta insgesamt in Sicherheit brachte. Er starb kurz darauf, und vermachte den ganzen Vorrath an die hiesige Raths-Bibliothek, allwo selbiger bis diese Stunde, wiewol en cachette aufgehoben wird. Miror vero, hunc catalogum, per-

plectentem obtulisset, proque eis, in aurem tibi dico, quinque millia nummorum, quos florenos vocamus, exegisset. Sed tanti pœnitere non emo, vix totidem teruncios pro talibus nugis profundero vellem. Bibliopola Collectorem magni nominis Virum asferit, & Catalogus rariorum librorum vocatur. Sed ipse procul dubio corrasor fuit, glaucoma objiciens, quo facilius emtori fraudem imponat. Abeat in malam crucem impostor, quicumque fuerit, rarosque libros hos sibi habeat, atque muribus, blattis ac tineis in escam.

Tom. VI.

P p

Tu,

petuis tenebris juxta cum ipsis libris superstitionis dignum, in lucem revocasse Herrenstadii A. 1732. Fridericum Roth-Scholzium, bibliopolam quondam Altorfinum, hoc titulo ipsi præfixo: *Catalogus rariorum librorum & manuscriptorum magico-cabalistico chymicorum.* Magis autem miror, editorem nefandam hanc librorum farraginem ceu eximiam lectoribus commendare haud dubitasse. En ejus verba, quæ pristinum possessorem nobis etiam cognitum reddunt: Von dieser schönen Sammlung rarer Bücher und MSS. war der nun sel. Herr Samuel Schræer, Doct. & Med. Pract. Lipsiensis Besitzer, davon er A. 1710. diesen Catalogum in groß quart drucken ließ, um solche an einen Liebhaber um 4000. Reichsthaler zu überlassen, die ich bey ihm, als meinem hochwertbesten Freunde und Gönner, öfters gesehen. Ob nun solche nach seinem Tode, wie ich versichert worden, in die Königlich-Böhmische und Churfürstliche Sächsische Bibliothec kommen seye, solches kan ich nicht gewiß sagen.

Tu, Vir Eruditissime! si, quod jam petii, meliores quosdam Hebræorum libros notares, & mihi & Tibi ipsi officium præstares, nam meum Orientalium apparatus ornares, qui tuis semper usibus patebit. Pretiosa vero nimis opera omittes; reliquorum enim in libros, qui meis studiis inservire possunt, expensorum ratio habenda. At si quosdam præprimis desideres, illos, amabo te, nota, quantovis enim pretio, coëmpturus sum, quo meam Tibi inserviendi voluntatem commonstrem. Vale. Dabam Francofurti d. 28. Octobr. 1713.

JO. HENR. MAJUS.

Quæ circa libros tuos manuscriptos mones, diligenter curabo. Catalogum manuscriptorum bibliothecæ tuæ olim edendum diversis Maimonidæ lectionibus, ex aliquo voluminum tuorum ad marginem editionis meæ adscriptis, augere possum, si volueris; nam & ego institutum eorum tecum damno, qui ob unam alteramque variantem voculam longiorem concinnant librum, quam sint duo Cæsaris Anti Catones. Idem puto cum adnotamentis faciendum est Golianis; verum de his tu optime judicaveris. Quam suavia sunt, quæ de Hudsono, Crabio & Hearne narras! medius antea mihi ignotus, nunc ad vivum tuo penicillo delineatus, gutture patulo, stomacho sitiente, manu avida, plane monstri instar horrendi. Tertii eruditionem non prorsus ignoravi, prioris quoque humanitatem ex iis didici, quæ V. C. Fabricius noster in Bibliotheca Gr. (quo tamen loco, non succurrit) retulit. Indicem ratio-
rum

rum librorum Rabbinicorum lubens conficiam, simulac otii aliquid nactus fuero. Vah! quanti me æstimas. Non satis est tibi, quos habes libros usibus meis committere, sed & quos non habes, in mei gratiam, simul & librariæ suppellectilis tuæ ornamentum, acquirere studes. Nil habeo, Vir Generosissime! quod tui memoriam æternitati consecrare possit, nisi publicam privatamque Tui deprædicationem, in qua quam sim asfiduus, mallet ex aliis, quam ex me audias; leges etiam suo olim tempore. Ego nihil æque curo, quam tuam mihi gratiam conservare integram, tibi vero ista adprecari omnia, quæ genus tuum, virtus & industria merentur. IV. Kal. Nov. 1713.

JO. HENR. MAJUS.

INtelligo, UFFENBACHI amicissime! gaudio non tantum me perfundi, sed transfigurari, ut cum Seneca loquar meo. Magnitudini id tribue tui erga me affectus, quem augeri indies cupidissime sentio. Vera est amicitia nostra, quam non spes, non timor, non utilitatis suæ cura divellat, cum qua & pro qua moriamur. Amplector te, amicorum princeps, & veneror, & in oculis fero, feramque, usque dum lumine oculorum priver ipse. Magnum est, si recte rem æstimaverimus, amici nomen; quo non obvios omnes compellare decet, sed quos in societatem honesta cupiendi par voluntas trahit. Quare cum eo me adfeceris honore, gratias tibi habeo maximas, daturus operam, ut nec amico, nec amicitia te destitutum conqueri possis. Tunc, inquis, tam

magnifice amici nomen & amicitiae laudas, tunc illo decore superbis, quum ne minimam quidem amicorum officii partem fueris exsecutus, multus in promittendo, in praestando nullus? Bona verba, quaeso, meum delictum! Pollicitus sum, fateor, me proxima occasione ad te daturum literas, neque pollicitus modo sum, reapse etiam praestiti. Ante octiduum, hoc ipso Veneris die, epistolam ad te, dulcissime amice! exaravi, tibi non redditam, sed mihi Francofurto remissam, singulari quodam casu. Quum enim Raumburgerianis litteris inclusissem tuas, accidit, ut illo legente, quae ipse scripseram, catellus, eo inscio, epistolam de mensa clam sumptam, virulento dente laceraverit, fragmentis quibusdam tristibus, quae ejus effugerunt saevitiam, relictis, mihique, veluti viva caninae rabiei indicia, transmissis. Indicaveram illis, quid de duobus libris a Judaeo emtis, sentirem. Quantum litterarum ductus male scribentis Hebraei adsequor, unus, & is quidem manuscriptus (ita suspicor) preces continet Judaicas, quas inter extare dicitur integra, quae contra Christiani nominis gloriam est directa, & quam in aliquo pariter antecedentium manuscritorum tuorum observavi. Alterum volumen tres complectitur libros, in quorum uno divinando negotium mihi fecit imperitia Judaei tui, egregii procul dubio Rabbini, & rectoris Academiae Pragensis (hoc enim ignorantia ejus dudum meruit) magnifici. Is enim ridicule titulum libro dedit תחלת חכמה quod est, *timor Sapientiae*. Id vero quid sibi velit, ignoro. Scribendum enim unica mutata littera תחלת חכמה *initium Sapientiae*. Et sane hic liber una cum aliis, ab olente Apella
tuo

tuo adscriptis, prodiit Veronæ 1647. 8. tibi autem recentior, ut memoras, contigit editio. Bonus quidem liber est, neque tamen tanti æstimandus, quanti a Judæo laudatus, qui tot verborum phaleris ea tibi de caussa forsan commendavit, quia prior ille, & qui in fronte voluminis legitur *Sepher Cerithus* modos docet explicandi sterquilinum Talmudicum, Gemaram cumprimis, elegantes, acutos, divinos, nihil supra. Humanæ eruditionis & ingenii apex habetur illa interpretandi facultas, ad quam excellentium Christianorum ingenia acutissima penetrare non possint, ne Lockii quidem, aut Leibnitii, aut quicquid vel Germanici est acuminis vel exteri. Ego itaque non magni facio illud scriptum; majori apud me in pretio est volumen illud alterum manuscriptum, vel ea de caussa adservandum diligenter, quod novum perfidiæ præbeat & calumniarum Judaicarum argumentum, a quibus etsi purgare sese in hoc negotio conentur versuti Ebræi, convicti tamen sunt dudum. Hæc quoad summam epistolæ meæ dilaceratæ.

Postridie Kalend. Martii C1713CCXIII.

Z. C. AB UFFENBACH.

INdignatus sum sine supercilio tamen atque rancore, sed exporrecta potius, & ad risum explicata fronte, catello, quod tuas ferratis rabidisque dentibus suis lacerando, illis me non solum spoliaverit, sed posteriorum etiam tuarum desiderium tam diu frustraverit. Bucceam Thessalicam cibi, cui præ aliis inhiare solet, petulanti non invidissem, si salvas Tuas reliquisset; maluissem


etiam ut Molossus meus Britannicus, in Belgio ut liberos meos equi instar curru vehat, edoctus, leporem de veru, pro sua, qua unice pollet scil. sagacitate venatus fuisset, quam quod catellus iste tuis me orbasset leporibus. Hebescant illi a facinorosis moribus dentes, vel nisi jam dum ferulam expertus fuerit, virgarum pro meritis afficiatur supplicio. Ad seria nunc pergerem, nisi tui, amice mellitissime! joci de mascula procreanda sobole indulgere hilaritati facerent. Præter illum, quem tu nominasti, Cardanum, plurimos ex instituto tradidit modos Hispanus quidam, (a) cujus libellus Morhofio ob elegantiam laudatus nuperrime in Saxonia recusatus fuit. Sed ut recte mones, steriles omnes sunt artes, quas illi docent, nisi casus vel propitia faveat Lucina. De istis igitur haud sollicitus, divinæ omnia relinquam providentiæ. Quod tu autem, amice dilectissime! spretis veneris illecebris, Minervæ, Musisque te devoveris, non inconsulte fecisti. Idem sane mecum constitueram, eoque animo in Angliam quoque transmigraveram, ut fixas Oxonii sedes quærerem, castoque Pieridum connubio fruerer. Aliter tamen divino, quod placido re-

git

(a) Janus videlicet Huartus, cujus liber *Examen des ingenios para las ciencias* Barcinone A. 1607. in oct. editus, ex Hispanico in Latinum sermonem translatus ab Æschatio Masore, sub titulo: *Scrutinium ingeniorum* Jenæ A. 1663. prodiit. In illo præter alia modum tradere non dubitavit, quo parentes gignere possint filios sapientes, ac ad litterarum studia idoneos.

git omnia nutu, visum fuit Numini, uxoremque obtulit, quam certo sciebam, & me & Musas meas pari amore complexuram, eandemque mihi sine Zelotypia, aut livore concessuram dulce, quod a teneris cum illis habui, commercium. Quo de nisi fuisset certissimus, (quasi scilicet in ipsis matrimonialibus Tabulis cautum de hoc esset,) nunquam sane ad aleam hanc subeundam adduci potuissem. Probe enim mihi cognitum erat, quam multa necessarium hoc malum incommoda comitari, quamque perniciosum Litteratis, Aonidibusque invisum esse soleat matrimonium. Habet sane conjugium voluptates suas, affert delectationem liberorum, si bonæ frugis evadant, procreatio; at quam incerta harum fruitio, dubiaque maxime spes est. Et si probe perpendas, nullæ vel exiguæ sunt præ illis, quas dulcis cum Musis consuetudo creat. His tu perfruere, amice dilectissime! ac in sinu lætare. Nullos te liberos suscepturum, ne doleas, sed quantis molestiis, quantisque curis te liberatum, perpendas. Librarii tui partus, quos tam bellos, tamque elegantes enixus es, quosve tanta facilitate, tantave voluptate edes in posterum, liberorum vices præstabunt, æternum tecum victuri, nomenque tuum ad immortalitatem consecraturi. Sed quo delabor? Vides, Amice charissime! dum tecum mihi res est, a loquacitate temperare mihi nequeo. At vitium hoc aliis videatur, inter familiares affabilitas, quæ virtutes inter numeratur, reputatur, veræque amicitiae, ut oratio index mentis aliis dicitur, character. Francof. MDCCXIV. d. X. Mart.

Hæc speciminis loco sufficient, quæ Tu, Vir
amicissime! æqui bonique consules, meumque
institutum de meliori pro benevolo Tuo in me
affectu Tibi commendatum esse fines. Vale,
BREITINGERE Celeberrime! ac favente Lucina
in præstantissima Tua τῶν 'Ο. editione quinto vo-
lumine locupletanda & illustranda rei sacræ bono
utere, meque Tibi addictissimum amare perge.
Dabam Memmingæ A. O. R. MDCCLII. pridie
Cal. Febr.



DIS-